



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm VI. Consultationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

CAPITVLVM VI.

Consultationibus.

PARAPHRASIS.

Si Archidiaconus morbo paralytico laborans officium linguæ amiserit, Coadjutor ei adjungendus est.

Cum hoc capitulo consentit c. 3. & iuxta ejus explicationem intelligi debet, & magis explicabitur in c. unico seq.

CAPITULUM UNICUM
in sexto.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Bonifacius VIII. in primis declarat, & statuit, Episcopis, & superioribus Prælati, videlicet Archiepiscopis, & Patriarchis dare Coadjutorem, inter causas majores numerari, quæ ad Sedem Apostolicam, nulla obstante consuetudine, referri debeant. Verum ne ea ex re Ecclesiæ, præsertim quæ ab urbe remotæ sunt, detrimentum patiantur, generalem sanctionem adjicit Pontifex, si Episcopus senio, vel corporali inualetudine gravatus, vel ex alia causa in perpetuum impeditus, pastorale officium non valeat exercere, quod cum consilio, & consensu capituli sui, vel majoris partis, unum, vel duos Coadjutores, Apostolicâ auctoritate, associare sibi possit, ad officij sui executionem. Sin autem amens factus sit, ut voluntatem suam declarare non possit, tunc capitulum ejus, vel duæ partes capituli, eadem Apostolicâ auctoritate, unum, vel duos Coadjutores assignent. Sin autem Episcopus senio vel morbo incurabili affectus, vel perpetuo impedimento detentus, sed non amens, nolit Coadjutorem sibi assumere, licet à capitulo de hac re monitus, quia videlicet dicit, se Coadjutoris adminiculo non indigere, tunc capitulum Ecclesiæ conditionem, ac statum, factique circumstan-

tias omnes, quam citò fieri potest, ad Sedem Apostolicam fideliter, & expresse pericribat, recepturi humiliter, & efficaciter impleruri, quod ab eadem Sede ordinatum fuerit.

SUMMARIUM.

1. Non semper novam legem indanti verbum Statuimus.
2. Sedi Apostolicæ reservatum est, dare Episcopo Coadjutorem, si is sponte assumere nolit, & tamen indigeat; inferioribus vero dare Coadjutorem preest Episcopus.
3. Archiepiscopo tamen non conceditur, Episcopo, aut alij Prælato Ecclesiastico extra suam Dioccesin, dare Coadjutorem.
4. Sed in casu, quo Episcopus, ob amentiam v. g. impeditus, Coadjutorem petere non potest, poterit capitulum de uno, aut pluribus etiam Coadjutoribus providere.

Notandum primum. Verbum Statuimus, non semper inducit novam legem, cum hic adjungatur verbo declaramus, id est, quod ante statutum fuit, declaramus, & limitamus. Ita Francus hic not. 1.

Notandum secundum. Inter ea, quæ Sedi Apostolicæ in signum specialis prærogativæ reservata sunt, est, dare Episcopo Coadjutorem, si is sponte assumere nolit; nam hoc est auferre, aut constringere exercitium Episcopalis jurisdictionis, itaque ad eum pertinet dare Prælato Coadjutorem, ad quem pertinet destituere, seu private, prout ex communi hic tradit Anchoran. not. 4. Ioann. And. in c. ult. n. 2. eodem tit. quare alijs inferioribus Prælatis, si officio præesse non possint, Episcopus Coadjutorem dabit. argum. c. 3. hoc tit. & monet hic Francus not. 2.

Quærent aliqui, quare Archiepiscopus, cum sit superior Episcopi, non possit cogere ad acceptandum Coadjutorem? Resp. ex doctrina